

Satyrae medicae, continuatio XIII. De terra lemniaquam -- disputatione ordinaria ... / exhibet ... D. Birr.

Contributors

Birr, Daniel.
Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704.
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

[Heidelberg?] : [S. Ammon?], [1676]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a2fjwy9k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6
7

SATYRÆ
MEDICÆ,
CONTINUATIO XIII.
DE
TERRA
LEMNIA

QUAM
DISPUTATIONE ORDINARIA
DEO JUVANTE
IN CELEBERRIMA ELECTORALI
HEIDELBERGENSI

P R Æ S I D E
DN. GEORGIO FRANCO,
MED. AC PHIL. DOCT. ET PROF. P. ORD.
FAC. DECANO ET ACADEMICO
CURIOSO.

Jatrophilis exhibet
*Ad Diem 30. Decembr. clō lōc LXXVI. horis pomerid.
In Brabeuter. Univers.*

DANIEL BIRR COLMARIA.
ALSATUS.

HEIDELBERGÆ,
Typis, SAMUELIS AMMONII, ACAD. Typog.



B. C. D.

§. 1.

TERRA LEMNIA a Patria cognominatur Insula Lemno, Vulcani juxta Poëtas officina; Ibi enim effodiatur in monte prope urbem Hephæstiam, hodie *Cochino*. Collis ille ita est absconditus & tectus, ut non nisi a loci gnaris cognosci ullo possit modo. Revera autem est rufus sive mavis fulvus, atque in eo neque arbor, neq; herba aut alia stirps fruticat nisi ægre: nec saxum natum invenitur, sed visitur tantum illiusmodi terra.

§. 2.

Effoditur autem hæc terra quotannis tantum semel, nempe sexto Augusti, testibus *Augerio Gislenio a BUSBEQ Epistola 3. & 4. Michaelæ HEBERER servitut. Egypt. l. 2. c. 50. & l. 3. c. 12. atque Ioh. Iac. BOISSARDO de divinatione cap. 11. f. m. 181.* Et quidem sequenti modo. Sacerdotes Græci καλόγεροι dicti primo in sacello ad dictum montem σωτήρα dicunt atque liturgiam peragunt religiosissimam: qua peracta deinde per quinquaginta vel sexaginta fossiores cæspites e terræ superficie divertunt, telluremque aperiunt, donec deveniunt ad venam terræ sacræ, in sacculos Cilicios induunt & diligenter clausos demum reportant ad Weiwodam sive Lemni Præfectum, in cujus præsentia redigitur in pastillos, teste BOISSARDO l. 4. Conf. qq. de antiquo modo GALENUM l. 9. *simpl.*

§. 3. DIO-

§. 3.

DIOSCORIDES atq; alii saltim coloris rubedine inducti (quæ enim alia tacita subest virtus admistionis illius, me usq; fugit) credebant massæ huic terreæ admisceri hircinum sanguinem. Sed recte refutant hoc RENODÆUS. *de mat. med. l. 2. f. 1. c. 1.* atq; C. HOFMANNUS *in paralip. med. officin. c. 44.* Quin immo ipse GALENUS (qui vel unicæ hujus terræ gratia iter in Lemnum direxit, ut ipsemet testatur *l. 9. de simplic. med. facult.* Conf. PHILIPP. LABBEUM *in vita Galeni*) teste Anton. MUSA *in examine simplicium p. m. 473.*

§. 4.

In pastillos redacta terra olim signabatur sigillo capræ, videl. in honorem Dianæ. Hic mos perduravit multis seculis, testibus HOMERO, HERODOTO atq; DIOSCORIDE; tempore tn. Galeni sigillum hoc desierat imprimi; vid. omnino BOISSARDUM *fol. 189.* ubi & icones additas habet. Hodie imprimuntur Characteres Arabici, quos Latine forte ita scriberis Tin imachton i. e. Terra sigillata: quemadmodum ejus aliquot typos exhibet BELLONIUS *l. 1. obs. 31.* atq; Contr. GES. NERUS *lib. de figuris lapp. &c. c. 6. p. m. 102.*

§. 5.

Ultimo ita signata mittitur Constantinopolin ad Imperatorem Turcicum, ita tamen ut aliquam sibi servet partem Lemni Præfectus. Reliquis autem interdicitur sub pæna capitis & bonorum confiscatione. Inde qq. credo profectum esse, quod terra proprie Turcica Characteribus Turcicis insignita communiter pro Lemnia venditur, testibus RENODÆO atq; C. HOFMANNO *loc. cit.* cum tamen terræ Lemniæ Galeni minime respondeat, teste SCRÖDERO, qui tamen litem interim ei non movebit, qui terram sigillatam in placentalis cineritii coloris Constantinopoli advectam pro

vera Lemnia usurpare velit; cum ea inter modernas sit præstantissima.

§. 6.

Hæc Terra Lemnia adeo pingvis est substantiæ, ut e sevo constare videatur, dumq; in ore contenta dentibus confringitur, instar butyri liquefcit. Color illi juxta Dioscoridem & Galenum fulvus s. rufus est. Hodie autem potius ex his coloribus declinat, & cineritius videtur.

§. 7.

Terra hæc vulgo omnium æstimatur præstantissima, hinc summo habetur in pretio, teste BOISSARDO *l. 4.* verum RENODÆUS *de mat. med. l. 2. f. 1. c. 1.* credit magis ceremonias & superstitiones barbaræ gentis nobilitare terram, quam virium præstantiam. Cui tamen minus subscribere cogito meliora edoctus. Valet autem vel ut amuletum (quamvis ita illi parum aut nihil tribuam) vel ut medicamentum internum in peste & contra venena varia e. g. Serpentum & cæterorum, teste KIRCHERO *in mund. subterr. l. 7. f. 2. c. 4. f. 337.* quando cum vino pota venena intro sumta vomitione expellat. Resistit etiam putredini; hinc maxime in febribus malignis eam laudat *Lel. a FONTE consult. 62. p. m. 382.* Conf. etiam *Petrum a CASTRO lib. de Febre punctulari.* Contra morbos contagiosos commendat etiam RENODÆUS *l. 4.* Plura de ejus viribus habent DIOSCORIDES, PLINIUS, GALENUS, MATTHIOLUS, &c. Nos hic brevitati studentes per ipsos hæc delibavimus; plura & accuratiora aliquando

B. C. D.

F I N I S.